

4 D E D I C A T I O.

Heroos animent alii ad tarantara versus,
Et grandi certent praelia flare tono:

Martius in vegetis quibus aestuat artubus ardor,
Quos tuba, quos litui, quos fera castra iuuant.

CH R I S T E, tibi mea sacra lyra est, tibi seruiet
vni

Omne, meæ quicquid plectra fidesq; valent.
Fortia facta ducum victura intexere charta,

Sive ea gesta sago, sive ea gesta togâ,
Desudent alii! famam ut post fata perennem
Hinc sibi cum ducibus, quos cecinere, parent.

CH R I S T E, tibi mea sacra lyra est, tibi seruiet
vni

Omne, meæ quicquid plectra fidesq; valent.
Sint, qui regifico constructa palatia sumtu,

Aptaq; Mygdonio marmore tecta canant.
Aut foetas populis urbes, cæloq; minantes
Murorum turres, qui super astra vehant.

Nomen ut hinc pennâ solui metuente superstes,
Quod penetret limen Solis utrumque, parent.

CH R I S T E, tibi mea sacra lyra est, tibi seruiet
vni

Omne, meæ quicquid plectra fidesq; valent.
Stemmata nobilium deducto carmine, priscis

A proavis, abavis, à tritavisq; canant.
Quos ea cura coquit sub pectore fixa, fauorem
Ut sibi Magnatum demeruisse queant.

CH R I S T E, tibi mea sacra lyra est, tibi seruiet
vni

Omne, meæ quicquid plectra fidesq; valent.
Sint,

Sint,